

- Théâtre : *De terribili somnio Paridi de Gabriele Wetzel.* -

(Theaterwerkstatt, Latein, Klett, Leipzig, 2006, ISBN 3-12-654700-1)

SCAENA PRIMA : NUPTIAE THETIDIS

MERCURIUS : La première scène se passe sur l'Olympe, la montagne au nord de la Grèce, qui était considérée dans l'Antiquité comme résidence des dieux. On célèbre le mariage de la nymphe Thétis avec le héros Pélée. Tous les dieux sont invités, seule la Discorde ne l'est pas. Elle se venge en apparaissant malgré tout et en jetant une pomme d'or avec l'inscription « A la plus belle » parmi les invités. Autour de cette pomme se déclare immédiatement une dispute entre la déesse Junon, l'épouse de Jupiter, Minerve, la déesse de la sagesse ainsi que de la guerre et la déesse de l'amour, Vénus. Enfin, Jupiter fait un discours et détermine que le prince troyen Paris devra prendre une décision sur la dispute...

*(In Olympos)*

*Convivae triclinium intrant ad symphoniam.*

CONVIVARIA PRIMA : O quod consilium magnificum deorum dearumque ! Quam ample magnifice triclinium ornatum est ! Quot magnificentissima et pulcherrima vasa argentea et aurea opere mirabili perfecta ! Quot candelabra mirifice caelata, quot pocula aurea gemmis clarissimis distincta ! Quam optime instructum convivium !

CONVIVARIA SECUNDA : Omnes fere dei deaeque adsunt aura purpuraque vestita, ut nuptias Thetidis celebrent. Sed ubi est Discordia ? Jovem eam non invitavisse audivi.

CONVIVA TERTIUS : Profecto. Discordiam conspicere non possum. Timeo, ne haec res nobis plurima mala inferat.

CONVIVARIA PRIMA : Ecce ! Thetis intrat ad symphoniam Junone ducente ! Quam pulchra est nupta ! Omnibus simulacris pulchrior est.

*Plausus*

CONVIVARIA SECUNDA : Quiesti este ! Juppiter verba facere cupit !

CONVIVA ALIUS : Summo deorum venter obesus est.

CONVIVA TERTIUS : Tace, nequissime !

JUPPITER, *ad mensa accedens* : Salvete, convivae carissimi ! Pauca tantum verba faciam, tum epulis vos totos dedere poteritis.

Vos omnes hoc die festo in Olympum invitavi, ut haec solemnia nuptiarum cum dignitate et hilaritate communiter celebremus. Sub oculis vestris est Thetis, fila Nerei, vestitu nuptiali amicta. Quam praeclarus aspectus !

CONVIVARIA SECUNDA : Videte, quotiens Juppiter ad eam circumspectet !

CONVIVARIA PRIMA : Pro certo Juno hoc die festo oculos de marito numquam deicit.

JUPPITER : Sub oculis vestris quoque est Peleus, vir fortissimus, cui Thetim pulcherrimam nuptum do. Optamus omnes novo marito novaeque nuptae omnia bona, fausta, felicia fortunata que ! Macte virtute este, nove marite novaque nupta ! Decus Olympi estis.

Et nunc, convivae clarissimi, celebrate hunc diem festum cum amicis vestris et date vos toto animo omni generi hilaritatis !

*Plausus*

CONVIVARIA PRIMA : Laudo orationem. Maritus meus dicere solet : oratio quo brevior, eo melior est. Sed, amici, petamus cibos electos vinaque dulcissimi saporis !

*Lente ad mensam procedunt.*

CONVIVARIA SECUNDA : O quam pulchra est nupta, quae frontem floribus amaraci suaviter olentis cinxit et soccum luteum pede niveo gerit flammero involuta !

CONVIVA TERTIUS : Pulcherrima est. Sed properemus ad mensas plenas conquisitissimarum epularum ! Video pavonis ova et pisces cum oleribus. Juxta exstructum est caput cenae : columbae, agnelli, assa bubula, porcina, taurina, vitulina. Maxime autem gaudebo mensa secunda : placentis, crustulis, nucibus, uvis, variis generibus malorum aliisque non minus dedicatis. Quibus omnibus rebus ventrem impleamus ! Egens venter non manet libenter ! Hilariter cenemus !

CONVIVARIA PRIMA : Tacete, amici ! Nonne clamorem auditis ? Custodes in porta positos clamorem tollere audio.

CONVIVARIA SECUNDA et CONVIVA TERTIUS : Immo vero, audimus bene. Quantum tumultum !

CONVIVA TERTIUS : Discordiam video in triclinium intrantem.

DISCORDIA, *triclinium intrans* : Quamquam invitata non sum et custodes me intrare arcere temptaverunt, tamen adsum. Ecce munus nuptiale meum ! Accipiat hoc malum dearum pulcherrima ! (*Mittit malum aureum in medium triclinium – et a custodibus comprehenditur et dimittitur.*)

CONVIVARIA PRIMA : Videte ! Discordia malum aureum in medium triclinium misit.

CONVIVARIA SECUNDA : Statim et Minerva et Venus et Juno formae praemium sibi vindicant.

JUNO : Abite vos ambae ! Malum meum est. Ego sum pulcherrima et potentissima omnium feminarum !

VENUS : Tune pulcherrima es ? Risu non tempero. Et cur Juppiter iterum iterumque alias feminas petit ? Ego pulcherrima sum, ego sum dea amoris !

MINERVA : Ego vobis pulchrior et fortior sum ! Ego...

JUPPITER : Id ipsum exspectavi. Ut discordiae finem faciam, impero, ut tu, Mercuri, illas tres deas, quae se pulcherrimas putant, ad Paridem, Priami Troiani filium, deducas. Ille judicabit, quis earum pulcherrima sit.

*Mercuris illas tres deas se sequi jubet, omnes abeunt.*

SCAENA SECUNDA : JUDICIUM PARIDIS

MERCURIUS : Dans la deuxième scène, Pâris fait l'éloge de la vie à la campagne. Il est assis sur le mont Ida et garde le bétail, lorsque moi, le dieu messager Mercure, j'apparaîs avec les trois déesses et l'invite à prendre une

décision sur la dispute autour du prix de beauté. Pendant ce tout premier concours de miss, Pâris attribue le titre « à la plus belle » à Vénus, parce qu'elle veut lui donner comme épouse la superbe femme du roi de Sparte Ménélas...

(*in Ida monte*)

PARIS : O faustum felicemque vitam rusticam, o dulce otium officiis vacum ! Nulla spe, nulla timore sollicitor. Ida ardua sole nitet. In umbram me reclino. Aves canunt, flores florent, ubique oves, capellae, porci circumsiliunt. Mecum tantum et cum aliis pastoribus sermonem habeo. Dicunt quidem me filium regis esse. Sed sorte mea maxime contentus sum neque vitam mutare cupio. Aliquot post annis fortasse oraculum adibo atque de origine mea consulam. In praesantia autem regia mihi opus non est, me juvat secundum naturam vivere...

Sed quid video ? Stupesco, credo eos, qui aetherium iter volucribus pedibus carpunt, deos esse. Heu me miserum ! Recta via ab eis petor !

Jam appropinquant, jam ad me accedunt, jam adsunt. Vae mihi ! Quidquid est, timeo superos et dona ferentes.

MERCURIUS : Salve Paris ! Pone metum ! Dei sumus. Ego Mercurius sum, nuntius deorum. Te quaequivimus.

PARIS : Plane perturbor vos, deos deasque, me quaerere. Unde venitis ? Quid vobis in animo est ? Sed quaecumque voletis, mihi semper accepti eritis.

MERCURIUS : Audi, amice ! Juppiter, imperator deorum hominumque, me misit. Has tres deas de Olympo ad te deduxi. Deae enim vehementer inter se disceptant, quis earum pulcherrima sit. Quare Juppiter te, Paridem, dijudicare jussit, quae dea pulcherrima sit. Ei hoc malum aureum erit. Visne mandatum Jovis accipere ?

PARIS : Nolo. Quid id ad me ? Mandatum acciperem, nisi intempestive ad me venissetis. Nunc mihi non est tempus huic disceptioni. Vehementer occupatus sum. Mihi enim pecus armentumque meum pascere necesse est. Alio tempore vobis adfuissem.

MERCURIUS : Quid ? Tu, Jovi, summo deorum, denegare vis, quod orat ? Tu Jovi obsistere vis ? Nonne eum tonantem audis ? (*Tonitrus.*) Vae tibi mortali !

PARIS : Satis est. Satis jam verborum. Jovem tonantem audivi neque diutius ei repugnabo. Voluntati ejus cedo et dearum pulcherrimam eligam.

MERCURIUS : Gratias tibi ago utique maximas, quod hoc mandatum difficilimum suscipis. Tene hoc malum ! (*Malum tradit.*) Sed quicquid agis, bonum eventum ! Ipse etiam alia mandata Jovis patris perficere debeo. Vale ! (*Mercurius abiit.*)

PARIS : O mulieres pulcherrimae ! Vos omnes tam pulchrae estis ! Incertus sum. Cui vestrum malum dare decet ? Omnino nescio. Homonculus sum. Adujuate, quaeso, in hoc mandato difficillimo !

JUNON : Da mihi malum, adulescens ! Juno, uxor Jovis, sum et regina deorum. Te potentissimum regem Asiae faciam. Pro certo omnes populos Asiae reges et opibus semper abundabis !

MINERVA : Paris, vir fortis ! Contemne promissa Junonis ! Minerva, filia Jovis et dea sapientiae et bellorum sum. Tu imperator praeclarus et vir maxima sapientiae eris, si mihi malum dederis.

VENUS : Contemne potentiam et opes, mi pastor pulcher ! Ista sunt bona externa. Ego felicitatem animi tibi afferam. Amor vera et sincera felicitas est. Amor vincit omnia. Venus sum, dea amoris. Amorem concilio. Ego promitto tibi formosissimam atque elegantissimam omnium mulierum, Helenam Graecam, si mihi malum

dederis.

PARIS : Satis est. Alea jacta est. Disceptatio dijudicata est. Te, Venus, pulcherrimam declaro. Non dubito tibi malum aureum dare. Accipe hoc malum ! (*Tradit.*)

VENUS : Carissime Paris ! Laetissimo animo malum aureum de manu tua accipio. Gratiam tibi referam maximam. A me adjutus mulierem formosissimam atque elegantissimam huc abduces. Valeas ! Vulcanus me jam exspectat... vel alias ? (*Abit*)

JUNO : Impie nefarieque ! Ex hoc judicio tuo et tibi et omnibus tuis inimica ero. Tu et populares tui mihi gravissimas poenas dabitis.

*JUNO et MINERVA abeunt.*

### SCAENA TERTIA : SOMNIUM PARIDIS

MERCURE : Dans cette scène, qui a été l'arbitre dans la dispute entre les déesses, fait un rêve effrayant. Il rêve qu'il se tient en face de la belle Hélène qui se montre froide avec le berger de la campagne. Elle est habituée au luxe de la vie et n'a pas l'idée d'échanger celui-ci avec la vie à la campagne. Vous allez éprouver à quel point ils ne peuvent pas se comprendre. Pour finir, Paris désirerait revenir à son ancien amour, Oenone.

PARIS O deae, quantopere opera judicii defessus atque defatigatus sum !

*Clare oscitat et obdormiscit.*

(*in somnio*) O quam pulchram feminam conspicio ! Altera ea nulla pulchrior est. O mea pulcherrima, tu omnium mulierum formosissima atque elegantissima es ! Quis tu ?

HELENA : Mihi nomen est Helena.

PARIS : O mea formosissima, tu illa mulier es, quam Venus dea mihi promisit. Tui cupiditate atque amore prope aegrotus sum. Amo tuos ocellos micantes, qui lucent sicut solis radii, amo tuos crines effusos, amo tuum os purpureum, amo tua labra rubra, amo tuas genas teneras, amo tuam formam egregiam – amo te. Tecum in praedio rustico feliciter vivere, te uxorem fidam mecum habere, multos liberos ex te gignere, agros fertiles opimosque possidere, pecore armentoque abundare ex imo pectore cupio. Veni ad me, amata ! Cupiditate atque amentia incensus sum.

HELENA Noli me tangere, homo agrestis ! Agedum si amator meus esse cupis, te primum omnium vestem mutare opus est. Deinde te ipsum mutare necesse est. Nolo viros, qui vitam rusticam urbanae vitae praeferunt. Ego omnium voluptatum urbanarum cupidissima sum. Opto, ut mihi quam plurimas pares. Agedum, homo agrestis, cura, ut spectacula quam magnificentissima capere et conviviis quam luxoriosissimis interesse possim ; ludos gladiatoriis scanicosque spectare me juvat. (...) Margaritae gemmaeque mihi gaudio sunt. Vino, ludis, jocis delector. Ut paucis dicam : nolo voluptates mihi umquam deesse. (...) Voluptates immoderatas immodicasque capere cupio. Visne eas mihi parare ?

PARIS : Lente, Helena, lente. Nondum scio... Quibus de rebus me etiam multo animo volvere opus est. Mihi aliae propositiones et cogitationes vitae nostrae futurae sunt, quae...

HELENA : Quid ? Helenam offendere audes ? Indignus es, qui amator meus sis ! Improbre ! Inculte ! Homo omnium, quos terras sustinet, ineruditissime ! (...) Abi ad pecus tuum ! Muteris ipse in porcum !

*Grunditus auditur*

PARIS : Heu me miserum ! Quod somnium terrible ! Animus meminisse horret. Quamquam initium tam

mirum erat. (...) (Ea) nulla mulier pulchrior atque humanior est. Sed omnium voluptatum cupidissima erat neque umquam eas satis habere poterat. Quam rem non sustinui. Quinam amator desiderat talem amatam ? Posteremo ira commota me voluptates suas negantem in porcum mutabile voluit. Terribilissimum erat. Jam me grundire audiebam ! Plane perturbatus sum.

PASTOR QUIDAM (porcos agens) : Es quietus, amice ! (...) Eum grunditum, quem adivisiti, isti porci excitaverunt.

**PARIS**

Maximam gratias tibi ago. (...) Nam etiam nunc ita perturbato animo sum, ut statim ad sanitatem redire non possim. Tali somnio viso aequam servare mentem difficultum et arduum est.

*Ad se ipsum* : (...) Judicavine vere de disceptatione dearum ? Quid facerem aliud ? Utinam Junoni malum dedissem ! Atroces minas jecit. Cave deas spretas, Paris ! Malo me ad Oenonem convertere, quae jam puerilibus annis comes in Idaeis jugis erat (...).

VATES : Paris, Priami fili, moneo te : Ne memoriam hujus somnii umquam deposueris ! Quod si feceris, et domui et genti tuae summam perniciem facies.

*Abeunt*

Fin avec texte en latin en alternance avec le français.

**MERCURIUS**

Finitus est spectaculum.

**PARIS**

Le spectacle est terminé.

**MERCURIUS**

Domum ire licitum.

**PARIS**

Vous pouvez rentrer chez vous.

**MERCURIUS**

Si attulit delectationem

**PARIS**

SI cela vous a plu...

**MERCURIUS**

monstate plausu assensionem !

**PARIS**

manifestez-le par des applaudissements !